Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36451
Copyright: Melk, Benediktinerstift

arbor illa. et exinde corpus eius combure-
ret. Et factum est sicut iussit. Christia-
ni vero tollentes cineres eius posuerunt
in locello argenteo. et collocaverunt
absconse sub sacro sancto velamine al-
taris sancti Liberii. Spiculatores
qui duxerant sanctum pantaleonem de-
collari non sunt reversi. sed cum reliquiis
corporis eius abierunt simul cum cineri-
bus quos tulerunt. Locus autem ubi
decollatus est sanctus pantaleon in ni-
comedia civitate foris murum. in
villa quadam nomine conanti scolastici.
illic cimiterium christianis factum est.
Consummavit autem beatus pantaleon
martirium suum v kl augusti in no-
mine patris et filii et spiritus sancti. per omnia
secula seculorum. Amen.

Miracula s. Pantaleonis martiris.

Post longa peregri-
nationis itinera.
quibus multorum uti-
litati vos divina
providit providencia.
dum propriam conti-
gisset patriam re-
visere. ac tandem diu exoptata
visione nobis liceret perfrui. inter
amice salutationis colloquia. quibus
sepius accepimus nobis profutura cau-
sa extitit nobis referere magnifi-
ca operacionis divine insignia. quas
nostris glorificari dignatus est tem-
poribus. immo hiis locis. quibus vera-
cius testificari possumus. nostris con-
specta obtutibus. Que dum vestra mag-
nificencia aure percepisset ut erat
reverenda primo requirere cura fu-
it. si absquolibet posterorum memo-
rie essent commendata. Quod dum
foret compertum omnimodis omis-
sum. haud tam propter negligenciam quam
auditorum imprudenciam. qui corde ma-
ligno deo tanta in sanctis suis operati
detractabant credere. Vestra sagaci
industria spopondistis. veterno
sum silencium vos velle in palam
deducere quod et effectum cepisset. si
negocium seculare quod est impedimentum
exercitii spiritualis obstitisset. Verum
dum nulla intercessissent ocia. ad
hec perficienda. mee inercie hanc
voluistis operam iniungere. cuius et
si lingua quid inane in studium balbu-
tit. tam extat aliena veritatis ra-
cione quam egena virtutum operacio-
ne. Sed cum nullomodo ab hoc imperio
vestri quivissem auctoritate removere
re. conscientia agitante. simul tan-
dem iubentis imperio malui pare-
re. quam inobediencie noxam incur-
rere. vel hec tenebris obtegi quod
multorum noticiam expediret haberi.
Quo circa in portu vestre blande tran-
quillitatis. mee pater veneranda con-
quiescat anxietas mentis. ut dum
ob magnitudinem iussionis pluri-
morum me committo carrarandi iugul.
quod tam forcia narracionis aggre-
diar opera vestre sublevet oracionis
intuentu. quo valeant suppleri
effectu. et ut me maneat eterne
quietis respectus.

Igitur dum singule urbes sin-
gulorum patrocinentur dignitate
sanctorum. nescio qua racione pata-
vine urbis cenobium. hoc non
meruit suffragium. nisi ut equidem
credo. quod divina providencia preordi-
nans futura. noluit fieri post te-